GRAMMATICAE

QUAESTIONES V

E

C. CORNELIO TACITO

REPETITAE.

QUA COMMENTATIONE

ACTUM SOLEMNEM,

ANNI SCHOLASTICI FUTURUM TERMINUM,

PRID. CAL. SEPT.

COLLEGII PROFESSORUM NOMINE

RITE INDICIT

CAROLUS LUDOVICUS ROTH,
GYMNASII R. NORIB. RECTOR.

NORIBERGAE,
TYPIS FRIDERICI CAMPII.
1829.

I.

De numero plurali indefinito.

Sunt quaedam media inter conditores vocabulariorum et grammaticarum auctores officia, quae dum alteri alteris impingunt, haud raro negliguntur. Ejusmodi esse puto, quae de usu numeri pluralis monendi occasionem Tacitus praebet. Primo enim, si de viro aut muliere sermo est, interdum pluralis usurpatur, non ille tantum, qui excellentiae nominatur, quo utens Cicero per jocum, ut mihi quidem videtur, ad amicum scribit: *imperatores adpellati sumus;* sed alius quidam, quem indefinitum vocari velim, quo fit, ut ea res, qua de mentio est illata, ad plures pertinere videatur. Non igitur tam personae, quam rei haec est amplificatio, et oratorius ejus genitivi praesertim in injuria aliqua exprimenda usus. Sed etiam de homine nescio quo si quid innuere potius velis, quam disertis verbis in eum dirigere, pluralem numerum eleganter induces. Itaque Priamum hortans Hecuba, ne irrito conatu victorem exacerbet, ne tum quidem, medias inter caedes suorum, conjugalis indulgentiae immemor, mitiori numero plurali compellat, Aen. II, 521. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget.* Et est quidem hoc loquendi genus non modo multarum gentium linguis commune, sed menti universae hominum, neque alium in modum Herodotus III, 65. *ὑπὸ τῶν οἰκηϊοτάτων* de uno dixit, aut puerulus a sodali irrisus vel vexatus injuriam exprobrans, seque unum commiserans, tu, inquit, *alios* insectaris. Igitur Tac. Ann. I, 14. nil obstat, quo minus eodem numero lingua germanica reddatur, quod Tiberius dicit *moderandos feminarum honores;* quanquam de una sermo est. Sed alii loci quum non idem ferant, propriam quandam esse latinae linguae cum hoc plurali rationem ostendunt. Nam et Aen. VII, 98. *Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum Nomen in astra ferent;* et Ann. I, 41. *feminas illustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris* etc. lingua germanica numerum singularem desiderabunt. Eadem numeri pluralis erit patiens Ann. XIV, 4. *ferendas parentum iracundias.* Impatiens contra erit Curt. VIII, 9. *pudebatque, libertatis majus esse apud feminas, quam apud viros pretium.* Adde Liv. I, 53. *donec ad eos perveniat, qui a patrum crudelibus atque impiis suppliciis tegere liberos sciant.* IX, 1. *auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedidimus.* cfr. Sig. ad h. l. IX, 9. *dum senes ab domo arcessunt.* XXII, 12. *premendorum superiorum arte sese extollebat.* — Sed etiam quae neutrius sunt generis, hunc pluralis numeri usum recipiunt. Liv. XXI, 31. *cepisse quondam Gallos ea, quae adiri posse Poenus desperet.* XLII, 4. *censorem — per sociorum urbes diruentem*

templa, nudantemque tecta aedium sacrarum, vagari: et quod, si privatis sociorum aedificiis faceret, indignum videri posset, id Deorum immortalium templa demolientem facere. Is vero Fulvius unum templum, Junonis Laciniae, detexerat.

Alia sunt ex his exempla, quorum pluralis numerus rei amplificandae in linguam germanicam vel aliam hujus aetatis transferri possit, alia, in quibus de hoc plurali inter utramque linguam convenire nequeat. Pars igitur quaedam ejus moris, quem lingua latina servat, ad nos quoque pertinet; sed in more retinendo latina lingua magis sibi constat. Ejusdem modi est, quod lingua latina, si quod genus hominum uno quodam adjectivo nomine designandum est, plurali numero utitur, nostra, et quas cognatione nostra attingit, saepius singulari, cujus rei vera caussa ex articulo, quem dicimus, repetenda est, quo Graeci quoque ita usi sunt, ut vel Latinorum more illud vel nostro enuntiarent. Sed per philosophorum rivulos nescio quid illius moris ad Latinos manavit, ut saltem *sapientem* dicere consuescerent, si de genere virorum ejusmodi sermo esset. Ceterum, dum incorrupta viguit lingua latina, suum in plurimis ejusmodi nominibus adjectivis morem servavit. Denique si quis grammaticam latinam, qualem docti nasci cupiunt, condere velit, eum tum multarum rerum aliarum, tum hujus expediendae atque ad rationes simplices referendae curam gerere oportebit.

II.

De plurali metonymico.

Altero in usu pluralis praecipuus est Cicero, eoque, ut mihi videtur, auctore frequentissimus Tacitus. Quae enim nomina substantiva notionem habent abstractam, quam vocant, earum species ac natura plurali numero a Cicerone aliisque ita mutatur, ut *res eas,* unde abstracta illa colligitur notio, significent. Itaque si *impietas* est ἡ ἀσέβεια, τὸ ἀσεβεῖν, *impietatum* (Cic. de leg. I, 14.) haec notio erit, ut impie facta iis indicentur. Paremque in modum *insania* τὸ μαίνεσθαι, *insaniae* (Verr. IV, 21.) quae cupiuntur τοῖς μαινομένοις. Ejus generis copiam aliquam Ellendtius ad Brut. 82. congessit, quibus adjicere nonnulla libet. Brut. 21. *ut* (orator S. Galba) *miserationibus, ut communibus locis uteretur* cfr. ib. 84. *crebrae assensiones, multae admirationes.* Off. I, 22. *sunt domesticae fortitudines non inferiores militaribus.* Tusc. Q. III, 18. *si virtutes ebullire volent et sapientias* etc. Cato M. 21. *tot artes, tantae scientiae, tot inventa.* Nam neque Germani, si de ea re disseritur, quam nos *das Wissen* vocamus, numerum ejus rei pluralem reperiemus, neque Latinis, si *scientiae* notio propria tenetur, id unquam licebit. Sed est quaedam in plurali numero vis metonymica, quam ob rem illum pluralem nominum abstractorum *metonymicum* esse dicendum existimo. Itaque *fortitudines* sunt *fortiter facta*, *miserationes, admirationes* sunt *voces miserationem elicientium,*

admirationem profitentium, *sapientiae*, *scientiae* sunt *ea*, *quae quis habens propria aut sapiens creditur aut doctus esse.* Quam ad rem quum omnis aetatis aureae latinitas ferri videatur, tamen scriptorum nemo acrius eam exercet, quam Cicero. Nam quum id sedulo ageret, ut sermonis latini ubertatem et copiam ad similitudinem usque Graecorum affluentiae augeret, campo ille aperto, in quo plurimos greges novarum quasi vocum captaret, mirum quantum gaudebat. Sed quaedam sunt omnibus scriptoribus communia, qualia sunt *spes, acerbitates*, *timores.* Cetera scriptores, prout singulorum fert indoles, fingere consueverunt.

Operaene pretium faciam collectis in unum nonnullis, quae apud Tacitum inveni, ejus rei exemplis, equidem nescio. Sed quam brevissime potero, rem absolvam, et inesse in ea, quod ad illustrandos aliquot locos pertineat, ostendam. Ann. I, 11. *necessitates*, *largitiones.* 58. *utilitates.* 69. II, 57. IV, 60. XI, 6. Hist. II, 95. et alibi: *odia.* Ann. I, 74. (cfr. H. II, 15.) *miseriae temporum*, *audaciae hominum.* II, 14. *viminum textus.* 32. *auctoritates adulationesque.* 42. 57. III, 54. XVI, 23. et alibi: *offensiones.* II, 43. XIV, 57. et saepissime a. l. *spes.* II, 55.; *insectationes.* 71. VI, 4. XIII, 50. (cfr. Cic. pro Planc. 42. Caes. b. g. VII, 17.) *acerbitates.* II, 87. *occupationes.* III, 25. Dial. 28. *educationes.* III, 26. *coërcitiones.* 30. IV, 28. (cfr. Sen. Nat. Q. 16 Ep. 122.) *munditiae* III, 26. XII, 4. 30. XIII, 1. *dominationes.* III, 28. *status.* 34. Dial. 28. (cfr. Cic. de leg. I, 11.) *pravitates.* III, 45: *gloriae.* IV, 11: *auditiones.* 30: *usus vitae.* 40. VI, 39. Dial. 5: *amicitiae.* IV, 54. VI, 45: *simulationes.* IV, 71. et saepissime: *metus.* VI, 22. XII, 4. (cfr. Cic. ep. I, 10.) *fallaciae.* VI, 29: *exitia.* 45: *aedificationes.* 50: *valetudines.* XI, 38: *tristitiae.* XII, 15: *gratiae.* 20: *nobilitates.* 36. XIV, 61: *clientelae et servitia.* XIV, 4: *iracundiae.* XV, 55: *libertates.* H. I, 15: *necessitudines.* 58: *vacationes.* II, 10: *delationes.* 87: *amoenitates villarum.* ut Liv. XXI, 30: *montium altitudines.* H. III, 70: *captivitates*, *deditiones.* IV, 38: *pavores.* Agr. 9. Dial. 28: *remissiones.* Agr. 22: *opportunitates.* 45: *pallores.* Dial. 4: *advocationes.* 6: *comitatus et egressus.* 21: *cogitationes*, *occupationes.* 34: *praeceptiones.*

Quae si quis tot tam varia exempla contemplatus fuerit, haud sane dubitabit, Ann. IV, 33: *infamias* restituere, quem pluralem a *Gron.* pulsum *Ernestus*, quod aliud ejus vocis exemplum plurale non reperiatur, revocare noluit. Multae ejusmodi voces, quas ante notavi, semel apud Tacitum leguntur, nemine refragante. Praeterea caussis apertis scriptorem commotum fuisse intelligitur, ut singulari numero *poenae* pluralem *infamiarum* subjungeret. Nam praeter exilium, quod nihil ignominiae habebat, una fere poena sub Tiberio plectebantur sontes atque insontes; contra infamiae multa genera erant, viae plurimae; et sunt hoc loco *infamiae* (quod inest in hoc genere pluralium), non tam poenae censoriae, quam dedecora et flagitia eorum, qui sibi a principe per effusam libidinem atque impotentiam illudi patiebantur, aut adulando suos et majorum laudes dehonestabant, qualia hoc libro C. 74. referuntur.

Verbo autem *subeundi* Tacitus per zeugma usus est, cujus eum figurae studiosum esse alibi ostendemus.

Eadem ratio Lipsii emendationem Ann. XII, 49: adprobari vetat. Beroaldus scribit: *cum privatus olim conversationes curaret.* Ne minimum quidem in his verbis inest, quod mutandum esse videatur. Singulari ejus vocis numero Dial. 9: utitur: *relinquenda conversatio amicorum.* Ergo Pelignus ille, antequam publico muneri praeficeretur, privato apud Claudium officio functus erat, ut adduceret ad principem, quibuscum is confabularetur. Et his opus erat principi, qui somni brevissimi esset (Suet. V, 33.) et iis, qui colluderent, ei, qui aleam studiosissime luderet (Suet. ib). Jam vero ad nectenda, quae insequuntur, *iners otium oblectaret,* quis non videt, in postrema syllaba verbi *curaret* copulam facilius latere, quam plura illa, quae Lipsius infersit, quum praesertim Suetonius inter plurima inepta, quae de Claudio cumulat, scurrarum contubernia non referat? Quod enim de copreis *Oberl.* l. c. monet, ad Tiberium et Cajum, non ad Claudium pertinet. Otium apud Romanos eo tempore res honesta est, Musarum commercio dari potissimum solita. Non habet *otia* vita prodigorum, ganeonum, sed eorum, quibus industria quaedam placuit. Claudii erat ejusmodi otium, qui ut pronus in aleam, in venerem, in convivia erat, ita tamen (Suet. 41. 42.) perquam doctus et literarum studiosus. Bonarum artium cupientem Tacitus ipse VI, 46: dicit. Sed erat iners (cfr. Ann. XIII, 42: *studiis inertibus*) otium, sive nihil effectum est illa industria, ut sequens etiam aetas tres istas literas aboleverit, quas Claudius novas invenerat. Jam si bono poëtae, qualis Bassus erat, *rogandi ultro* et *ambiendi erant, qui dignarentur audire* (Dial. 9.) si docti ad audiendum ea pigritia eoque taedio coibant, quod Plin ep. I, 13. castigat, mirumne videbitur, quod Claudius homuncionem aliquem desideraverit, cujus in os meditamenta sua et qualiscunque ingenii lusus ebulliret, idque Peligni alterum officium fuisse? Legendum igitur: cum privatus olim conversationes curaret, et iners otium oblectaret. Si quid mutari velim, *cujus privatas* praeferam, quod a cod. Bud. quodammodo commendatur. Haec duo, IV, 33. XII, 49: eo potissimum tueri licuit, quod uterque locorum plurales ejusmodi habet, quales creberrimos esse in Tacitana oratione paulo ante demonstratum est. Quod vero alio loco pluribus ac magis cordatis probatum est, ita tamen, ut adversandi potestas non tolleretur, hinc firmari certe potest. Ann. II, 57: *discesseruntque apertis odiis.* Egregium est, quod *I. F. Gron.* pro *apertis* disserit, quem recentiorum plures ob id ipsum secuti sunt. Addendum ex eo, quod collata in hunc §. exempla ostendunt, *odia* esse *res odium incendentes*, sive *res eas, de quibus cum irritatione quadam animi dissentitur;* quod idem de offensionibus II, 42 etc. dicendum est. Hae autem res, postquam de iis agi inter Germanicum et Pisonem coeptum erat, et reconciliari animi nequibant, *apertae* erant, *operiri* non poterant. Illius igitur loci sensus hic erit, paulum diversus ab interpretatione plerisque consueta:

non aliud profectum est sermone Germanici et Pisonis, quam ut ea aperirentur, quae alterum alteri inimicum reddebant.

III.

De singulari metonymico.

Plurali metonymico ea via munitur, qua ad numeri singularis vocum abstractarum usum metonymicum transitur. Nam si utramque copiam, tum pluralium metonymicorum, tum singularium, e scriptore aureae aetatis vel argenteae collectam metiare, illos fuisse in usu hominum priores major ipsa vis et numerus demonstrabit; horum vero studium non prius vigere coepisse, quam ora auresque illis pluralibus insuevissent. Et hac in re et in multis aliis excipienda sunt, quae usus in rebus agendis, non tantum publicis, sed etiam sacris, militaribus, privatis formavit. Quae enim quotidie aut saepe fiunt, eorum brevissima quaedam nomina usus reperit, et in sermonem hominum infert: ut nullum genus plures ellipses, aposiopeses et quotquot sunt brevioris orationis figurae, habeat, quam grex forensis Musis inimicissimus. Itaque Cicero Ep. I, 1: antiqua metonymia scribit: *epiroticam emtionem gaudeo placere tibi;* quum emtio h. l. non significet actionem ementis, sed rem emtam. Eandem ex usu originem ea metonymia habuit, quae et alibi et Brut. 62, 225 conspicitur: *ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset.* Pari modo Caesar metonymiam ex communi sermone arcessit b. g. II, 33: *sectionem oppidi universam Caesar vendidit.* Sed inventum a Cicerone et adjectum latinitati crediderim, quod de or. I, 46 legitur: *idemque ingenii praesidio innocentiam judiciorum poena liberare.* Ita enim pro *innocentibus* innocentiam inferre, novae audaciae est, et quamvis utilis in praesens, tamen in magnam cladem erupturae; quae, dum ahenea aetas iis luxuriose abutitur, quae aurea rara ornamenta et lumina orationis habuerat, nihil usquam verarum virium in latinitate reliquit. Et magnam esse corruptelae partem in metonymiarum nimio usu positam intelliget, si quis Apollinarem vel alium quendam ejus aevi revolverit. Non autem supervacuum videtur, collectis exemplis Taciti hoc in genere scribendi genus declarare: in quibus, qualia sunt Ann. VI, 2: *ignobilitatem suam*, XIV, 53: *spei tuae, novitas mea* consulto transmitto, quanquam ea hujus generis esse facile videbis, si, quae postrema posui, cum verbis *felicitati meae* ejusdem cap. comparaveris. *Sapientiae* vocabulo, ut ab hoc incipiam, dupliciter utitur Tacitus, ut vel utilitatem callide quaesitam vel totum quasi orbem earum disciplinarum, quas philosophi tractant, eo vocabulo significet. Illud Ann. I, 28: *quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus.* Neque aliter II, 64. — Alterum praecipue Agr. 2 et 4: *expulsis sapientiae professoribus; studio eloquentiae sapientiaeque notus.* Adde Ann. VI, 6. XIII, 42. XVI,

56. Hist. IV, 5. Hoc praeparari videtur non solum illo ejus vocabuli plurali Ciceroniano, sed etiam de Leg. I, 13: *qui quasi officinas instruxerunt sapientiae.* Nec secius *liberalitatis* primitus ea notio est, ut virtus quaedam animi ea indicetur; Tacitus et liberalitatem et munificentiam pro donis liberaliter erogatis nominat. Pluralem *liberalitatum* eodem sensu apud Suet. Claud. 29. invenies. De singulari sunt loci minime dubii Hist. I, 20: *bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. Adpellari singulos jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta:* ib. 18: *constat, potuisse conciliari animos quantulacunque parci senis liberalitate.* Ann. II, 37: *inlectus a D. Augusto liberalitate decies sest., ducere uxorem.* Quae h. l. liberalitas, seq. c. pecunia dicitur. III, 8: *exceptum comiter juvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget.* Quodsi II, 48 ejus vocabuli notio ad virtutem animi significandam reverti videtur, quod idem forsan Germ. 14. dixeris, tamen loci priores argumento satis firmo sunt, omnem dubitationem, quam *Lipsius, Salinerius, Pichena, Freinshemius* de Ann. IV, 20: *sed et liberalitas Augusti avulsa* — moverunt, ita demum compesci debuisse, ut *liberalitatis* notionem ex illis locis prioribus repeterent. Hunc usum vocis aetate illa fuisse, Plinius quoque ostendit Ep. X, 3: *mater Romani liberalitatem sest. quadringenties — nondum satis legitime peregerat.* Postremo adde nostri Ann. VI, 45: *M. Sest. ea munificentia conlocatum.* II, 26: *addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo.* Hujus ablat. ger. non alium esse sensum, nisi participii impliciti, alio loco demonstrandum est. Ut igitur liberalitatis et munificentiae vocabulo saepe pro munere liberaliter dato utitur, ita, quae aliis *venia* dicitur, saepius apud nostrum *clementiae*, semel, quod sciam, *lenitas* vocatur. Neque vero eo ipso tempore harum vocum notio abstracta interciderat, quam mansisse, notam usitatamque, Tacitus ipse testis est. Nobis hos locos, qui usum earum metonymicum referent, memorasse satis erit. Ann. II, 10: *in deditionem venienti paratam clementiam.* ib. 42: *elicit Archelaum matris literis, quae — clementiam offerebat.* XIII, 11: *secutaque lenitas in Plautium Lateranum.* Jam, quod *verum* aliis, Tacito *veritas* adpellatur. Ann. II, 39: *quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt.* IV, 45: *nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem diceret.* VI, 38: *veritatis — per probra saltem gnarus fieri.* Magis etiam memorabile, quod *credulitatem* pro *rumore vulgo credito* ponit. Ann. II, 40: *vine militum servum suum coërceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret.* ib. 82: *juvit credulitatem nox* etc. XIV, 4. XVI, 2. ad veterem sensum propius accedit. Sed ultimae licentiae esse videtur, quod servata Ann. VI, 38: *patientiae* notione antiqua, alibi vim verbi mutat, ut *ea, quae quis patitur*, significet. VI, 1: *ex foeditate loci et multiplici patientia.* Non enim fieri potest, ut alius huic loco sensus subjiciatur. Hinc ib. 46. omni difficultate liberatur, quam *Muretus* atque *Ernestus* ei circumdederunt: *nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmi-*

tudinem simulans. Nam Tacitus ut ceteras orationis partes, ita praepositiones cognatas saepe commutat, ut *in* pro *inter* h. l. positum esse liceat dicere; quod idem Agr. 16. fecit: *nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria.* At ne hoc quidem subsidio est opus, quum Tacitus, in omittendis praepositionibus audacior, easdem si adjicit, cum vi quadam ac pondere addat. Ergo *in patientia* hoc erit ut dictum velit: *ἐν μέσῃ τῇ ἀσθενείᾳ, μεταξὺ ἀσθενῶν.* Ceterum Seneca intelligendi copiam faciet, huic notioni vocis Romanos ante Tacitum insuevisse. Nat. Q. I, 16: *est aliqua etiam prostitutis modestia; et illa corpora, publico objecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt.* Ep. 78: *tolerabilis est morbi patientia, si contemseris id, quod extremum minatur.* ib. 82: *ubi autem ad malum acceditur, aut pejorum metu fit aut spe bonorum, ad quae pervenire tanti sit, devorata unius mali patientia.* ib. 97: *in locum patientiae timor cederet.* Quem locum postremum qui diligenter inspiciunt, statim intelligent, non posse h. l. eam animi virtutem, quae dicitur patientia, indicari, sed hoc potissimum inesse: verti timorem in poenam, *die Furcht werde selbst zum Leiden.* Et est hic locus majoris momenti, quam duo superiores, quia patientia h. l. absolute dicitur. Quo magis eo Ann. VI, 46. firmatum iri spero. Sed indidem ipsius Senecae alius locus sanabitur. Nam ed. Sen. Gothofrediana, Bas. 1590 in libello de Prov. c. 4. optime, ut mihi quidem videtur, exhibet: *ad contemnendam malorum patientiam animus patientia pervenit. Lipsius* et *Gronovius* nulla lectionis varietate memorata scribunt: *ad contemnendam malorum potentiam* etc. Qua ratione sententia mehercule omnibus trita et philosopho parum digna nascitur. Idem paulo infra c. 8. Deum facit dicentem: *non egere felicitate, felicitas vestra est.* Quid ergo magis consentaneum, quam ascita lectione Gothofr. eandem antithesin ibi statuere, ut *patientia* hinc metonymico, illinc abstracto sensu recipienda sit? Ostendit duobus locis superioribus Seneca, se proclivem esse in jungendas voces: *mali,* seu *malorum patientia.* Et *Lipsius* ad Ep. 97. ipse monet, fuisse, qui *poenitentiae* quam *patientiae* legendum esse perperam censerent; unde, quod persaepe evenit, demonstratur, usus loquendi vel incuriam vel inscitiam multa ubique in pejus vertisse, abolitis, quae primitus scripta morem omnibus notum egredi viderentur. Eodem de fonte in plerasque editionum *potentiam* manasse existimo, et Gothofredum h. l. prae reliquis audiendum esse.

Ad Tacitum redeo, cujus superest locus hac ipsa ratione vindicandus, Ann. IV, 12: *igitur contumaciam ejus insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbiam fecunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent. Muretus* paucis absolvit, *superbam* esse legendum censet; quam sententiam *Grut.* et *Ern.* sequuntur. *Gron.* veram lectionem non deletam contra oppugnantes non defendit. Quasi quidem haec nova esset metonymia; *superbia* fecunditate subnixa, ac non liceret, animi vel vi-

tium vel virtutem ponere pro homine ea praedito; et durior esset, quam pro Tacitana indole, sermo ille, quam quales supra notavimus, aut illi, quos prope pudet referre, Ann. IV, 17: *aequari adolescentes senectae suae.* XIII, 44: *modicum Iberiae regnum senecta patris detineri.* XI, 23: *nisi coetus alienigenarum velut captivitas inferatur.* Hist. I, 17: *circumsteterat interim palatium publica exspectatio.* Ann. XIII, 42: *veterem ac domi partam dignationem subitae felicituti submitteret.* Non avellendum a fecunditate superbiam subnixam, quod *Ern.* censet. Dial. 6: *senes et totius urbis gratia subnixos.* Denique quid luculentius, quam si in hunc modum vertas: *ihr Stolz, pochend auf ihren Kinderreichthum, dränge sich durch die Volksgunst zur Alleinherrschaft.* Ablativus ille, *popularibus studiis,* nemini novus videbitur, qui vel aliquot Taciti libros legerit.

IV.

De appositionis usu peculiari.

Peculiaris quidam est apud Tacitum appositionis usus, quam ille non ad unam periodi vel coli vocem, sed colo toti ita solet adjungere, ut hoc ipsum subjecti locum tenere videatur. Nam priores quidem scriptores id quod saepius animadvertere licet, rem eandem tentaverant, sed inchoatam paene reliquerant, nisi quod illud *mirabile - incredibile dictu* ac similia, quae hoc appositionis genus continent, quodammodo in proverbii locum cesserant. Quae vero apud priores reperi, (minime enim huc sunt referenda, quae *Ramshornius* §. 151, 6. e Cicerone arcessit) haec sunt: Liv. IX, 41: *mirabilia dictu, signa primo eripi coepta signiferis, deinde ipsi signiferi trahi ad consulem, armatique milites ex acie in aciem transferri.* XXII, 36: *et multo cruore, signa in Sabinis caedis, aquas e fonte calidas manasse.* XXIII, 46: *spolia hostium Marcellus Vulcano votum, cremavit.* Sall. fr. III, 22. p. 236. Gerl.: *abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur et huc licet ire et illuc, munera ditium dominorum.* ib. IV, 12. p. 239: *Eumenem — initio prodidere Antiocho, pacis mercedem.* Quibus ab initiis Tacitus profectus rem primo parvam ita versavit, ut hinc quoque adpareret, quantum ad fastigium ille sermo eniti posset. Placebat enim scriptori brevitatis cupidissimo id loquendi genus, quo paucarum vocularum impendio, quod alioqui satis magno verborum ambitu erat enunciandum, statim aut adnectebatur aut inserebatur. Hoc ipsa demonstrat ejusmodi locorum crebritas, quorum partem majorem, ne longus esse videar in re minime recondita, non ad verbum usque, sed hactenus memorabo, ut, si quibus haec curae erunt, facili opera eos invenire possint. Ann. I, 3: *subsidia.* 27: *documentum.* 39. 56. VI, 10: *rarum.* I. 49: *piaculum.* 81: *speciosa.* II, 17: *pulcherrimum, mirumque.* VI, 24: *egregium.* 37: *auspicium.* XI, 11: *fabulosa.* XV, 35: *nomina.* 39: *solatium.*

Hist. I, 44: *munimentum.* 72: *effugium.* IV, 18: *hortamenta.* Germ. 13: *decus.* 16: *remedium; suffugium.*

Hos vero, quos infra posui, locos magis insignes esse puto, atque ad rem grammaticam magis pertinere. Ann. I, 27: *manus intentantes, caussam discordiae et initium armorum.* Quae *Gron. Ern. Oberl.* ad h. l. monent, non inutili opera hanc structuram similibus locis collectis explicari demonstrant. Nam quaecunque paulo ante exempla congessi, dubium relinquunt, utro casu, primo an quarto haec adjuncta sit appositio; quod ne Sallustianus quidem de Eumene locus omni dubitatione liberat. Sed et hinc et Ann. II, 64: *immittere latronum globos, exscindere castella, caussas bello* — de indole et vi ejus structurae edocemur. Nam legem quandam grammaticam hinc elicere et licet et libet. Primo igitur tum ex iis locis, quos supra denotavimus, tum maxime ex duobus, quos postremos retulimus, intelligitur, hanc esse oppositionem, quae non ad singulas voces, sed ad colon seu membrum periodi integrum referatur. Atque ob eam rem *Ramshornius* l. c. Cic. Fam. I, 4: *unumque certamen erat relictum, sententia Volcatii* — minus apte exemplis aliis e Suetonio, Curtio, Tacito depromtis subjunxit. *Sententia* enim ut verissima est appositio, ita uni voci *certamen* adnectitur. Neque aliter, quod alterum ibidem insequitur exemplum. Verius Sallustianum de Eumene exemplum illatum esset, cui et ipsi haec Tacitana omnem dubitationem exuerent, fidem integram tribuendam esse negarem. Nam si quis eam structuram aspernatus diceret, *pacis mercedem* pro appositione sequi *Eumenem,* non haberemus profecto, quo eum convinceremus. Nunc Tacito auctore contendimus, id, quod trahat appositionem, non esse *Eumenem,* sed τὸ *prodere Eumenem.* Itaque ut altero brevissimo exemplo primam ejus rei legem confirmem, Ann. I, 30. non vult Tacitus dicere, eos, qui traditi sint a manipulis, documentum fuisse fidei, sed τὸ *tradere quosdam,* cujus appositio est illa, *documentum fidei.* Jam vero singula periodi membra verbis indigent aut transitivis aut intransitivis. In intransitivis non est de casu appositionis, sed de numero solum quaerendum; in transitivis de utroque. Hinc altera lex nascitur, quae hujusmodi est: Si ex pluribus rebus plura effici videbuntur, haec appositio numerum pluralem servat; sin unum effectum esse videbitur, singularem. Hoc docet Ann. VI, 29: *eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Illa duo, τὸ humari corpora, et manere testamenta, in unum pretium festinandi coaluerunt. Contra illud Livianum IX, 41. (nil enim impedit, quo minus antecedat et haec et alia quaevis appositio) plura, quae evenere, mirabilia fuisse, plurali appositionis numero demonstrat. Eadem ratio est Ann. I, 3. 81. II, 64. etc. Praeterea si res una pluribus e partibus consistere videtur, appositionem pluralis numeri adjungere, ut in collectivis omnibus licet. Huc refer Ann. XI, 11. XV, 35. Eximius autem locus, et quem consulto antea non memoravi, est Hist. III, 84: *contra Vitelliani, quanquam numero fatòque dispares,*

inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare, suprema victis solatia amplectebantur. Quem locum interpretandi duplex via aperitur. Nam aut infinitivi omnes in locum substantivorum nominum cesserunt, ut in versu notissimo: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter;* quod si sequare, omni difficultate facillime careas; aut *inquietare, morari, foedare* infinitivi historici sunt; quod expositio historica poscere videtur. Sed hoc si quis potius esse arbitratur, in anacoluthon incidisse nostrum judicabit, aut rhythmicae brevitatis causa binas voculas *atque ea* fastidisse. Hoc vero, quod tractamus, appositionis genus ab isto loco abest.

Secundae legis pars altera, quae est de appositione transitiva verba sequente restat. Sed praecipere quaedam rei explicandae gratia non inutile videtur. *A. F. Bernhardi,* Anfangsgründe der Sprachwissenschaft p. 29: *das Substantiv überhaupt ist das letzte Ziel der empirischen Sprache, und der ganze Satz ist das Streben und die Erreichung dieses Strebens.* Idem p. 197: *wenn jeder Satz ein Substantiv ist, so kann innerhalb der Gränze desselben, oder auch ausserhalb, ein Satz hinzugefügt werden als Ausbildung desselben, oder als Folge und Erweiterung.* Idem p. 236: *die ganze Subjectreihe mit allen Dependenzen und Inhärenzen, ist gleich einem Substantiv, die praedicativische einem Attributiv.* Rem per se certam, quod librorum de grammatica latina conditores pensi eam habere non ita saepe solent, auctoritate viri egregii firmare malui: cui utinam, quod de conscribenda grammatica latina eidem libro praefatus est, perficere per fati praematuram necessitatem licuisset! Si quis igitur dispiciat, qua ratione mentis humanae hoc appositionis genus nitatur, non aliam esse justiorem intelliget, quam quod omne periodi membrum, etiamsi multas habet orationis partes, unius substantivi instar est. Quod enim substantivi instar est, appositionem recipit. Neque vero magis dubium, illud substantivi instar non alio casu praeterquam nominativo cogitari posse. Quodsi recte contenditur, nil erit per se discriminis, sive transitiva verba haec appositio, sive intransitiva subsequetur, quae nominativum semper requiret. Sed longe aliter illi, quos supra memoravi, loci Ann. I, 27. II, 64, rem constituunt; nam praecedentibus verbis transitivis haec appositio casum accusativum tenet. Non enim I, 27. *manus,* sed τὸ *intentare manus* caussa fuit discordiae; non II, 64. *latronum globi,* sed *immissi l. g.*, non *castella,* sed *excisa c.* caussae fuerunt belli. Nihilominus ita verba junguntur, quasi singula nomina substantiva suas habeant appositiones. Quae quum apte conciliari non posse videantur, *attractione* res difficillima extricatur. Itaque partem alteram secundae legis hunc in modum definiemus: si quod periodi membrum verbum transitivum pro copula habebit, haec appositio per attractionem casum accusativum recipiet. Hujus quoque rei ratio idonea exstat. Nam omne verbum transitivum, id quod plurimarum linguarum usus demonstrat, notionem *faciendi* continet, cujus notionis quum mens humana meminit,

in illam attractionem prona incurrit. De qua re igitur summi interpretes Hist. I, 44: multum dubitavere. *Plures, quam centum viginti libellos praemia exposcentium, ob aliquam notabilem illo die operam, Vitellius postea invenit, omnesque conquiri et interfici jussit, non honore Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem.* De sensu *Gron.* Obs. IV, 17. optime disserit, idemque, quae alii de sanando, ut videbatur ipsis, hoc loco statuerant, collecta exponit. Sed primum erat demonstrandum, *munimentum* etc. esse appositionem ei rei, quam patravit Vitellius, annexam, deinde, eadem verba per attractionem, rem ad claudendas conciunandasque periodos aptissimam, quarti casus speciem induisse.

Supersunt tres loci, quos seorsum inferendos esse duxi. Sicut enim appositio elliptica non tantum fit per genitivum vel ablativum, sed interdum per praepositiones *ex* aut *in:* ita fieri potest, ut haec appositio per praepositionem adjungatur. Ceterum ejus rei unum exemplum reperi Hist. II, 86: *is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala, senatorium ordinem reciperaverat,* i. e.: is — senat. ord. reciperaverat, atque id, *τὸ eum reciperasse senat. ord.* fuit inter alia publica belli mala. Pariterque unum locum deprehendi, quo Tac. hanc appositionem eo dativi genere, quod per ellipsin praepositionis fit, reddidit, Ann. XV, 27: *multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse, documento adversus superbiam.* Denique postremus, quem commemoro, locus omnia bonae latinitatis fundamenta subvertere atque eruere videtur: quis enim Ciceronis cliens atque admirator ferat, quod Tacitus Hist. IV, 57. scribit: *illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi: ut, flagitium incognitum, Romanus exercitus in externa verba juraret.* Cujus rei explicandae caussa eundem, quem supra laudavi, Bernhardium inducam, p. 223: *je reicher eine Sprache an Darstellungsformen ist, je grössere Freiheit hat sie in der Darstellung ihrer Worte, je eher und sicherer kann sie die Construktion zerstören.* Idem p. 304: *je höher die Wissenschaft und je vollendeter, je willkührlicher die Zeichen.*

V.

De lege cognationis in libris grammaticis seorsum tractanda.

Simpliciorem atque ad acuendas mentes magis idoneam haberemus disciplinam grammaticam, si ea ex parte, quae est de casuum rectione, structurae omnes, quae per cognationem, quam dicunt, solent fieri, rejectae, unum sub obtutum darentur. Fiunt autem per cognationem omnibus in linguis structurae plurimae, quae videantur novae, quum alterum pro altero verbum ac saepius synonymum ponitur, alterius in alterum regimine translato. Non ergo bene mihi videntur consulere, qui de ac-

cusativo casu praecipientes quasi postremum adjiciunt: verbum quoque *tremere* per cognationem *timendi* hunc casum facere. Nullus enim hinc ad veram rei intelligentiam usus pervenit; contra non mediocris, ut mihi videtur, si ea res, quatenus ad omnes casus praeter vocativum pertinet, distincta poëtarum et solutae orationis et scriptorum superiorum et insequentium licentia exponatur. Minus enim vere dixeris: *adipisci* verbum nonnunquam genitivum facit; vere contra, Tacitum, qui Ann. XII, 30. XIII, 1. justam ejus verbi structuram exhibeat, III, 55. VI, 45. et vim et structuram verbi *potiri* eo transferre. Hinc, si ex manco loco praecepti quid colligere fas est, Sall. fr. IV, 15. p. 241. Gerl. *scalas pares moenium altitudine* explicabis. Hinc, quod *adversus* Iug. 43. *diversus* Ann. I, 49. genitivum faciant. Dativi haec erunt exempla. Ann. IV, 72: *tributum iis jusserat modicum;* ac saepissime Tacitus ut h. l. *jubere* pro *imperando* dicit. cfr. XIII, 15. 40. Hist. V, 21. Germ. 11. Tum Ann. XIII, 42: *livere his;* fortius vocabulum, quam *invidere* quaerente Suilio. Indidem natum, quod nescio qui mutari voluerunt V, 10: *lapsum custodiae*, i. e. *exemtum cust. cum aliqua fraude.*

Sed et nominativo et praesertim accusativo hinc nova quaedam accessere. Huc enim faciunt, quae quis plurimis ex locis, e. gr. Aen. II, 585. Caes. b. g. III, 26. Liv. XIV, 10. de verbis *laudare, constare, convincere* in numerum verborum nuncupandi translatis possit adferre; et quaecunque verba *metum* vel *amorem* indicantia accusativum faciunt, quum antea fuerint intransitiva, eodem referemus. Neque *instare hostes* quisquam dixisset, nisi *premendi* meminisset; neque talia ausi essent poëtae, quale est Propertii III, 11. 22: *agrestes cominus ire sues,* nisi *petere, adgredi* et quae sunt similia, illum accusativum facerent; neque cetera, quae subjungam, nisi ea synonyma, quae adjicienda erunt, menti scribentium obversata fuissent. Sall. fr. V, 114: *offensus* (perosus) *dominationem Sullae.* Livius XXXI, 17. et alii: *praeire* (recitare s. pronuntiare) *carmen.* idem XXXVIII, 7. XLV, 20: *excedere* (relinquere) *Amphilochiam — Curiam.* Ann. I, 61. XIV, 15: *incedere* (intrare) *locos-scenam.* I, 76: *Tiberis plana urbis stagnaverat* (inundaverat) II, 20: *eniti* (superare) *aggerem.* Nec sane notum illud *eniti*, quod de puerperis dicitur (Ann. III, 33. Dial. II.) nisi edendi seu pariendi notio subesset, accusativum faceret. III, 66. II, 80: *properare* (parare) *aliquid.* III, 66: *pergere* (continuare) *iter.* ib. 74: *qui conclamabantur* (salutabantur). IV, 28: *falsa exterritum* (timentem). VI, 5: *revinci* (argui, doceri) *cuncta.* ib. 15: *ambigens* (circumiens) *patriam.* XII, 19: *ne triumpharetur* (ageretur). XIV, 21: *impartire* (donare) *aures.* ib. 7: *ne auctor dubitaretur* (ignoraretur). XV, 13: *propugnare* (defendere) *munimenta.* Hist. II, 20: *gravabantur* (oderant) *Saloninam.* V, 5: *nec quidquam prius imbuuntur* (docentur). Germ. 20: *nec virgines festinantur* (collocantur). ib. 43. et al. *Gotones regnantur* (reguntur). 45: *frumenta laborant* (colunt). Qui Graecismos ad eam rem interpretandam advocare malunt, non illi quidem sunt vituperandi.

At priusquam alio decurras, domi auxilia quaerenda esse censeo. Atque est ea lex linguae antiqua et olim probata, ut per cognationem eae structurae, quae videantur novae, oriantur. Eamque legem si paulo latius patere fateare, quam communis antea syntaxis concessit, subsidiis aliunde petitis non erit opus. Quanquam autem synonyma sunt pleraque, quibus haec efficiuntur, tamen haud raro haec est via ratioque ut, adverbio quodam et verbo quoque coalescentibus in unum vocabulum, verbi ejus structura, in novum verbum conferatur. Nam alioqui, (Hist. I, 76. et al.) ut hoc utar exemplo, *rem festinare* ea de caussa dicitur, quod hujus verbi transitivi maxima est cognatio cum verbo transitivo *accelerare*. At Germ. 20. nemo est, quin videat, nec Graecismi esse usum, nec mutari rem novam, si *festinare* idem dixeris, quod *accelerare;* sed duo in hanc vocem coaluerunt, adverbium *propere* seu *festinanter* et verbum *collocare*.

Quae quomodo ad casuum rectionem pertineant, congestis antea exemplis demonstratur. Sed ad alias quoque syntaxeos partes quaedam inde accedunt. Quod enim Cicero ipse Ep. 30. (Att. II, 4.) ac Caesar idemque Tacitus locis plurimis verbo *imperare*, quod iidem verbis *expetere, poscere, postulare, hortari* (Cic. pro Sext. 3.), Livius etiam (XXII, 6.) verbo *impellere* modum infinitivum adjungunt, usu verbi *jubere* effectum est. E verbi *jubere* usu apud Tacitum alia quoque orta. Ann. VI, 2. XI, 10: *orare*. VI, 7. (cfr. Plin. Ep. I, 2.) *admonere*. XI, 34: *instare*. XV, 25: *scribere*. XVI, 11: *nunciare*. Germ. 14: *persuadere*. Agr. 38: *praecipere*. Nec dubito, VI, 33. XI, 29: *perpellere*. XII, 51: *percellere*, IV, 12: *illicere*, II, 43: *ambire*, ad eandem caussam referre. Et est locus auctoris, cui indidem subsidium quaeri oporteat, Ann. VI, 45: *nimia jam potentia Macronis, qui gratiam C. Caesaris nunquam sibi neglectam acrius in dies fovebat. Impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei retuli, uxorem suam Enniam immittendo, amore juvenem inlicere etc.* Sic enim colis distinguenda secus atque in edit. comparet, haec verba censeo; nec rarum apud Tacitum, periodos a copula incipi. Utut vero de hocce statuas, ad explicanda, quae h. l. videntur obscuriora, duplex via aperitur. Nam aut *uxorem suam* ad utrumque est referendum; *impulerat* et *immittendo;* cujus rei sunt apud Horatium exempla complura, quorum unum inferam. Hujus Od. III, 29. strophes tertiae hic erit sensus: *vices, gratae divitibus, et coenae mundae* etc. *plerumque divitibus seu divitum sollicitam frontem explicant.* Sed ipse Tacitus scribit Ann. II, 14: *si taedio viarum ac maris finem cupiant;* ubi dignoscere nequeas, ad utrum referendi sint genitivi, et utroque referendos esse veri est simillimum. Tum luculentius Hist. I, 64: *ni Valens animadversione paucorum oblitos jam Batavos imperii admonuisset. Imperii* enim per utrumque fit: *oblitos* et *admonuisset*. Haud secus nostro loco *uxorem suam* per utrumque fieri potuit *impulerat* et *immittendo*. Tum Tacitus ablativum gerundii saepissime pro participio verbi activi ponit, ut VI, 38: *objectando* pro *objectans*. Et *impellere*

saepius apud Tacitum infinitivum habet, ut XIV, 60. Hist. III, 4. Hinc nil impedit, quominus haec fiat paraphrasis. *Atque post mortem Claudiae etc. uxorem suam Enniam immittens impulerat, ut ad amorem juvenem illiceret.* Fert enim hoc indoles Taciti, ut, si de insigni quadam turpitudine mentio inferenda est, non adjecto, quid ipse judicet, tamen cumulatis iis, quae rem quasi praesentem describant, eam lucem flagitio circumfundat, quae ingentem legentibus horrorem non possit non movere. Quod eum voluisse, vel una e voce *suam* (uxorem) intelligetur.

At propter id ipsum alteram interpretandi ejus loci viam iniri malim. Tantum enim detestationis et in hac voce inest, et in *immittendo*, ut prope nimius videatur Tacitus, si *impulerat* quoque ad idem significandum adjiciat. Altera vero interpretatio haec est. Gratiam C. Caesaris, Tiberio successuri, Macro antea foverat, sive id sedulo egerat, ut ne quid inter ipsos offensionis existeret. Jam vero vergente Tiberii vita *impulerat* i. e. *impulsum addiderat*, sive magis enixe et facto quodam ut ipsi videbatur, perquam callido ad id, quod volebat, perficiendum progressus erat. Quae igitur antea fecerat, *vitandae* potius *offensionis* fuisse crediderim; quae tum (quum acrius in dies fovebat) *adipiscendae juvenilis gratiae* atque in perpetuum firmandae. Et quae ita fecit *ultro*, verbo *impulerat* significari puto; quod verbum Hist. I, 7. absolute, nullo addito accusativo, positum videmus; et ib. II, 63. fin. argumento est, inesse in verbo *impellere* vim eam, quam demonstravi: *impulsum addere.* Ergo impulsum addiderat gratiae C. C. conciliandae eo, quod uxorem suam immiserat, quae in amorem juvenem illiceret. Nemini vero illud novum videbitur, quod Tacitus dicat: *immitto illicere.* Nec enim minus licenter dicta sunt, quae supra monuimus.

Jam vero persuadere mihi nequeo, eandem subesse caussam, cur dicere liceat, sive *intrare domum* sive *intrare in domum* et sive *incusare reum* sive *incusare in reum;* sed ubi praepositionem huic verbo adjunxeris, πρός τι sive transitivum esse desiit, et est ejus notio: *existere accusatorem.* Nam infinita est in sermone humano verborum transitivorum et intransitivorum commutatio, ut fiant transitiva, quae per se sunt intransitiva, et v. v. Hoc est apud nostrum Ann. V, 7. Eodemque modo VI, 17. interpretandum erit: *creditores in solidum appellabant;* non ut Ern. jubet, subaudiendo *debitores,* sed remota a verbo complementi indigentia, ut sit vis verbi fere, qualis est in *provocando,* et sit *appellare in solidum* idem, quod *appellare sive poscere solidum.* Tum Livio auctore (XXI, 46. 63.) perquam usitatum est nostro, *accipere in deminutionem sui* (Ann. I, 14.) *in superbiam* (VI, 13.) etc. Quod e notione verbi *vertere* natum mihi videtur. Eademque est ratio, si Tac. Hist. II, 20. et al. *trahere in superbiam* etc. dicit. Et *imbuere ad*, XII, 32. et alibi e verbo *instituere* ortum esse adparet. Denique *Beroaldus* Ann. XIII, 53. scribit: *in studiaque Galliarum adfectaret;* quam lectionem minime rejiciendam esse puto. Veri enim similius, fuisse, qui praepositionem per inscitiam deleverint,

quam qui intruserint. Et quanquam praeter Apulejum nemo scriptorum illud verbum cum praepositione junxisse videtur, tamen nostrum ad multiplicandas orationis varietates saepe eidem verbo nunc vim transitivam, nunc intransitivam addere plurima exempla docent. Igitur h. l. *adfectare* esse idem quod *manus porrigere* crediderim et esse standum cum Florentino. Notionem vero adigendi, pertrahendi subesse existimo, ubi *corrumpere ad scelus,* ut Ann. IV, 10; *frangere ad omne servitium*, ut Hist. II, 17. noster dicit; ac saepe, quod est *corrumpere ad,* idem est *corrumpere in,* ut Hist. III, 47. Alias vero, ut Germ. 23, notio mutandi subest, et factum inde, ut corrumpere effectum sit verbum *πρός τι.*

Quum vero innumera per omnes disciplinae grammaticae fines dispersa sint, quae originem hinc ducant, paucis adjectis hanc rem absolvam. Non explicari, sed nomen solum addi puto, si per figuram aliquam dici contendas Ann. XVI, 2: *terra provenit ubertate.* Quid enim est caussae, quod hoc ipso loco animum scribentis cupido incessit, figura ista utendi? Scilicet, quod notionum quaedam cognatio est inter verba *provenire* et *abundare* seu *scatere,* qualis est inter verba *donare* et *impertire;* quae propterea scriptor eloquentissimus variandaeque orationis cupidior alia pro aliis infert. Et ib. 9. malim hanc cognationem in subsidium vocare, quam graecismum in verbis: *a centurione caderet.* Et quaedam verba, quibus notio dubitandi inest, conjunctio *quin* sequitur, per se ab iis aliena, e. gr. Ann. XII, 6: *nec diu anquirendum, quin Agrippina — anteiret.*
